

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1763

Epocha zaringica

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295084)

EPOCHAZARINGICA.

§. VI.

BERTOLDUS.

Bertoldus I. cum
filio Hermanno.

Primum hunc Provinciae Comitem in secunda, quam *Zaringicam* voco, Brisgovici Landgraviatus periodo reperimus.

Anno 1028. Conradus II. Imp. Ecclesiae Basil. mineras argenti dedit in Comitatu *Bertholdi* & in Pago *Brisichgowe*.

Ejusdem Comitatum in Pago *Brysihegowe* prodit Diploma Henrici III. Imp. An. 1048. ut supra ostendimus. Bertoldus hic brevi post, quam titulum Ducis sumfisset, in filium suum Hermannum Comitis axioma transtulit; unde Hesso Brisgoviae Dynasta An. 1052. domum & Cappellam fundasse legitur *Duce Bertoldo, Comite Herimanno*. Hermannus non suo, sed paterno nomine, Comitatum administrasse videtur, uti beneficio Caesaris eum Bertoldus possedit, qui cum Henrici IV. Imp. gratia deinceps excideret, hoc quoque exutus est Comitatu. A. 1077. profecto Caesar „quendam Comitatum situm in Pago *Brisgowe*, *Bertholfo* „ jam non Duci, justo iudicio sublatum, cum omnibus appenditiis „ legum, „ Ecclesiae Argent. donavit. Cum vero Comitatus *Brisgoviae* in potestate *Zaringensium*, ut ex sequentibus patebit, permanferit, nec ullum vestigium compareat, ex quo inferre

possimus, Argentinensem Episcopum Comitivæ Brisgovicæ jura exercuisse, Cæsaream hanc donationem, aurea licet Bulla munitam, effectu caruisse censemus. (e)

§. VII.

HERMANNUS.

Anno 1087. locus, qui dicitur *Cella*, situs in Nigra Silva, Hermannus II. Marchio.
in Pago Brisgowe, in Comitatu Herimanni Comitis, Cluniacensi
 Ecclesiæ a Burcardo Episcopo Basil. per concambium traditus est.
 Chartam concambii testes signarunt *Bertolfus Dux, Herimannus*
Comes, patruus & ex fratre nepos. Ita Hermannus II. Marchio
 Comitatu Brisgovicæ præfuit, sub patruo Duce, uti Hermannus I.
 eundem rexerat sub patre.

§. VIII.

BERTOLDUS.

Anno 1120. Bertoldus III. Dux Zaring. novæ suæ Civitati Bertoldus III. Dux Zaring.
 Friburgensi privilegium dedit, ut omnis civis, volens inde recedere,
 rerum & corporis usque in medium *Rhenum* & per totum sui
Comitatus ambitum, securitatem habeat, Domino conducente.
 Comitatus hic intelligitur Provincialis Brisgovicæ. In Comitatu

(e) Vide supra in Bertoldo I. pag. 55.

Brisgavia cunctas venationes & argentifodinas Ecclesiae Basil. confirmat Innocentius II. Papa An. 1139. (f) ubi Claustrum de Sulzberg, Haltingen, Hylstein, Chilchoven, Stouffen, Ampringen, Oeristetten, Opfingen, Zeringen, Bischovingen, Brifach, aliaque loca *Brisgoviae* commemorantur.

B E R T O L D U S.

Bertoldus IV.
Dux.

Vivo patre Conrado, Duce Zaring. & Rectore Burgundiae, Bertoldus IV. inter Comites A. 1139. relatus, *Brisgoviae* Comitatum administravit. Majoris placiti, in ipsa regione apud vicum Ofmenningen ab eo congregati, expressa mentio fit in Charta San-Petrina illius anni; cujus S. Petri in Nigra Silva Advocatiam, in Zaringica gente hereditariam, Bertoldus Comes tum quoque cum Landgraviatu possedit. (g) Idem postea, mortuo patre, An. 1169. causam de jure patronatus ecclesiarum aliquot *Brisgoviae* judex decidit. (h)

(f) HERRG. *Genealog. Habsb.* Tom. II. num. 217.

(g) Vide in Bertoldo IV. Zaringiae Duce supra §. II. pag. 124.

(h) Ibidem §. XVI. pag. 142.

EPOCHA